



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 100. Franciæ Rex Generali Concilio assentiens, Romamque Mannensem  
Abbatem ablegans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI. re pariter cum Cardinale Lotharingio  
 A.C 1560. conferret.

§. C.

*Franciæ Rex Generali Concilio assentiens, Romamque Mannensem Abbatem ablegans.*

*Pallav. l. 14.  
 c. 12. n. 146  
 Mem. l. c. p.  
 & suiv.*

Prudens hoc Hispaniæ Regis consilium prospero successu haud caruisse videtur; quippe Franciscus II. Mannensem Abbatem Romam ad Pontificem ablegabat, qui eidem sanctum, ac laudabile propositum gratularetur, necnon pro prompta illius executione rogaret. Huic Abbati insuper injungebatur, ut Pontifici proponeret, quod Rex illum monere voluerit, quatenus pro communi futuræ hujus Synodi receptione, ac majori illius auctoritate haud sufficeret, Tridentini Concilii suspensionem tollere, sed potius illud denuo convocaret ad urbem Tridentinam magis commodam, ad quam omnes Imperii Ordines tam Catholici, quam Protestantes tuto confluere possent, hancque in rem satis consultum foret, si expectaretur, donec Cæsar circa hujus loci selectum mentem suam aperuisset, cunctaque Imperii membra eo induxisset, ut una omnes ejusmodi urbem ratam, gratamque haberent: porro re ita composita Mannensis

sis Abbas Papæ nuntiare tenebatur, Sæc. XVI.  
 quod protinus hoc Concilium indicen- A C 1560.  
 dum, atque inchoandum foret, hanc-  
 que in rem sibi ipsi injunctum esset, ut  
 Pontifici polliceretur, fidemque faceret,  
 quod acceptatis hisce conditionibus,  
 Rex quamcunque urbem pro Concilii  
 loco selectam esset ratam habiturus, si-  
 mulque nulla mora Regni sui Præfules  
 eo decreturus, atque omnia in hoc Con-  
 cilio decernenda, ac præcipienda in o-  
 pus deducturus foret: His quoque Le-  
 gatus addere jubebatur, quod Regi di-  
 versa sæpius loca, quæ ipsi satis oppor-  
 tuna videbantur, pro futuro Concilio  
 fuissent proposita, atque inter alia præ-  
 cipue Spirensis, Hagenoana, Worma-  
 tiensis, & Trevirensis civitas: nullam  
 tamen urbem magis, quam Constantiam  
 cunctis Imperii Ordinibus acceptam fore  
 existimaret; cum illuc summus Ponti-  
 fex facile suos Legatos decernere pos-  
 set, eoquod hæc urbs parum Me-  
 diolano distet, ex quo loco non raro de  
 rei gestæ serie edoceri, quinimo si opus  
 foret, ipse interesse posset. Hæc erat  
 summa epistolæ, quam Rex hac de  
 re ad Bochtelium Redonum Antistitem,  
 ac suum apud Ferdinandum Oratorem  
 pericriperat.